14998
Lane Medical Library

DE MORBO BRIGHTII ET ECLAMPSIA PUERPERALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IX. M. MAII A. MDCCCLVI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
HERMANNUS BEIGEL
JAROCINENSIS.

OPPONENTIBUS:
ADOLPHO SEMLER, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.
BERNARDO SCHULTZE, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.
CAROLO KIESOW, MED. ET. CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

EXPERIENTISSIMO HUMANISSIMO

FAUTORI AESTIMATISSIMO

EMILIO SEYBEL

ORDINIS HONORUM LEGIONIS EQUITI

HUNC LIBELLUM

GRATO ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

Notum est omnibus, postquam Lever, Devilliers, Regnauld, Dubois, Danyan cum albuminuria gravidarum convulsiones conjunctas esse docuerant, Frerichs experimentis egregiis et accuratis innixum apophthegma enuntiasse: eclampsiam puerperalem, quo nomine auctore Scanzonio eclampsiam gravidarum, parturientium et puerperarum significamus, neque esse morbum primigenium, neque exoriri nisi in gravidis morbo Brightii laborantibus, cui eodem nexu causali juncta sit, ac eclampsia, convulsiones et coma; ideoque exitum esse intoxicationis uraemicae, huic ipsi apparendi modo simillimum. Ex eo tempore haec sententia a multis tam impugnata quam defensa est; urinae eclampsia puerperali laborantium albumen et cylindros fibrinosos admixtos esse, quidem omnes concedunt, horum originem vero ex morbo Brightii multi negant. Nuperrime negavit Scanzoni, et in hac re sequentia praeprimis memoranda censuit:

1. Corporibus eclampsia exstinctarum apertis, rarissime renes in hunc modum degeneratos deprehendi, ut Diagnosis morbi Brightii probari possit.

2. Non esse firmatum, albumen et cylindros fibrinosos urinae admixtos nunquam non praecedere convulsionibus;

imo sunt causae permultae, quae docent, nonnisi inter partum, qui spasmis stipari vel carere possit, oriri morbum.

3. Rationes, quibus intoxicatio uraemica probetur, esse infirmissimas, se igitur Frerichsio et ejus asseclis suffragari non posse, diserte dicentibus: eclampsiam puerperalem veram semper exitum esse intoxicationis uraemicae, orientis ex morbo Brightii.

Antequam ista diligentius perscrutamur, ad effata modo citata haec respondere placet.

Quod rationem attinet 1. Qui censent, Scanzonii dictum casibus a Litzmanno, Braunio et aliis observatis refutari non posse, convincuntur iis, quos narraturi sumus, et qui morbum Brightii etiam in corpore mortuo plerumque et certissime cognitum esse docent.

Quod attinet argumentum 2. Huic nullis rationibus munito dicto refragantur experimenta Leveri, Fevilliersii et Regnauldii, qui in urina aliquot centuriarum praegnantium sanarum albumen frustra quaesiverunt. Etiam a Litzmanno institutae perquisitiones urinae 131 gravidarum sola sententia Scanzonii nullo modo refutantur.

Quod attinet argumentum 3. Ad hoc nihil est respondendum. Hucusque usus fuit scientiae et erit, ut sperare licet, in futurum: firmis causis refellendam esse sententiam aliorum; simplex affirmatio vel negatio facti, quam Scanzoni proferre ausus est, nullius momenti habetur.

Revertentes ad nostrum thema novissimo tempore a Frerichsio enuntiatam sententiam in dies magis probari videmus; immo, qui contradicunt, argumenta addunt veritati ejus theoriae. Ubicunque multum et diligenter investigatur, in urina eclampsia laborantium albumen et cylindri fibrinosi, saepe etiam globuli sanguinis inveniuntur; in cruore

autem non raro ammonium carbonicum, et per sectionem degeneratio renum. Quomodo observatores diversi haec symptomata, horum genesin, et nexum cum eclampsia interpretentur, non interest, haec sunt judicia singulorum; nos tantum affirmamus: symptomata modo enarrata gravissima et praecipua signa morbi Brightii esse.

Casus infra memoratos, quos partim ipse in aedibus obstetriciis nosocomii generalis Viennensis observavi, partim in annalibus hujus instituti inveni, in lucem editurus, me Frerichsii theoriae non sine omni momento dignitatem addidisse credo; restat, ut memorem, analyses urinae in laboratorio pathologico-chemico Helleri professoris, sectiones in necrodochio nosocomii factas esse.

AETIOLOGIA.

Gravissima, ut notum est, momenta aetiologica morbi Brightii praeter frigoris et pluviae madefacientis injurias et laesiones mechanicas sunt: turbationes circuitus sanguinis et anomaliae sanguinis. Haec duo novissima momenta autem per graviditatem summum gradum tenere, vix memorare opus est. Uterum gravidum sanguinis cursum per venas turbare, antiquitus notum, et oedema pedum durante graviditate hoc modo explicatum est. Pressio uteri autem sola non semper sufficit ad morbum Brightii producendum, intercedant necesse est causae aliae, ut partim jam Frerichs enuntiavit. Summi momenti est natura sanguinis gravidarum. His est sanguis aqua et fibrino opulentior normali, albumen et corpuscula sanguinis alba in eo quoque non mediocriter aucta, rubrorum numerus vero admodum deminutus. Huc accedit, id quod mihi grave

videtur, auctus nervorum impulsus, praesertim sub finem graviditatis et inter partum. Quantas partes nervi agant, quod cursum attinet et naturam sanguinis, et experimentis et observationibus circa lectos aegrotantium certissime demonstratum est. Mihi subita nervorum excitatio sufficere videtur, ad eam anomaliam sanguinis provocandam, quam morbus Brightii ostendit. Casus saltem a Chrisostomo memoriae traditus mulieris, quae brevi tempore post vehementiorem cum marito rixam obiit, et aperta Brightianam renum degenerationem valde excultam monstravit, hoc dictum probare videtur. Itaque non est, quod miremur, si, functione nervorum adeo aucta, uti sub finem graviditatis, inter et post partum observatur, in mulierculis sanguine anomalo et certe leviore gradu morbi Brightii jam laborantibus, hujus morbi symptomata repente et vehementer augentur, urea sanguinis dissolvitur, et intoxicatio uraemica emergit; unde coma et convulsiones sequuntur, quae nomine eclampsiae puerperalis significantur, et quae causa sublata saepius cedunt. *Eclampsia puerperalis ergo est morbus Brightii decursum emetiens acutissimum.*

SYMPTOMATOLOGIA ET DIAGNOSIS.

Decursus morbi Brightii saepe adeo levis est, ut aegrae sanae sibi videantur et nonnisi ob laesionem functionum quarundam, quae saepius morbum Brightii comitantur, medicum consulant. Quod ad hoc attinet, casus sequens memoratu dignus est. Ante tres circiter annos Gryphiae ad nosocomium chirurgicum mulier venit, corpore, ut videbatur, valido et sano, aetatis mediae, querens deminutam oculorum aciem. Bardeleben, tum nosocomii director,

cataractam incipientem cognovit simulque urinam investigavit, quae stadium progressum morbi Brightii indicabat. Aegra ad valetudinarium medicum missa ibique suscepta est, ubi albumine ex urina submoto acies quoque oculorum restituebatur.

Tales leviores gradus morbi Brightii apud gravidas certe frequentiores oriuntur ac cognoscuntur. Mihi adeo verisimillimum videtur, morbum Brightii saepe ex albuminuria gravidis frequentiore oriri, postquam gravis irritatio nervorum, producta vel mechanicis laesionibus inter partum, vel affectibus animi, ira, indignatione, sanguinem dissolvit. Talis est origo casuum comate et convulsionibus repentinis stipatorum, nec non eorum, ubi brevi ante partum et initium insultuum pulsus foetalis perspicue auditus est, infans autem mortuus editur, in ejusque sanguine et urina ammonium carbonicum invenitur. Secus accessionibus eclampticis praecurrunt prodromi, saepe neglecti, quia simillimi sunt iis, qui incipientem partus laborem augurari solent. Aegrota fit debilis, segnis, torminibus artuum et dolore pelvis cruciatur. Ast amblyopia, aurium susurrus vehemens et alia hujusmodi jam animum attentum reddunt, quale immineat periculum. Saepius accedunt spasmi singulorum musculorum, digitorum, faciei, qui extensitate et intensitate continuo amplificantur, donec impetus eclampsiae perfectae irrumpit. Si intoxicatio sanguinis gravis est, accessiones cito repetuntur, per intervalla sensus nullus, respiratio valde impedita, cutis sudore gelido et glutinoso tegitur, alvi dejectiones invitae, vultus mutatur, impetus in coma vertuntur, nisi mors rapidior vitam exstinguit. Si intoxicatio minoris est gradus, impetus fiunt rariores, mens per intervalla, initio saltem morbi, saepe integra,

imo accessiones non repetuntur, vel si jam coma exstitit, sensus paulatim — perfectus quidem tardissime — recuperatur sanitasque restituitur. Diagnosis, convulsiones revera e morbo Brightii oriri, ut facile est perspectu, tum demum certa constitui potest, cum in urina praeter albumen etiam cylindri fibrinosi deprehenduntur; notum enim est, per decursum graviditatis, partus, puerperii convulsiones ex multis aliis causis irrumpere posse. Oedema singularum partium durante graviditate certe medicum ad vigilantiam invitabit.

Cum meum non sit, monographiam eclampsiae puerperalis scribere, sed additamentum adjungere quaestioni gravissimae, qui sit nexus eclampsiae puerperalis cum morbo Brightii, exitum, prognosin, et therapiam hujus morbi paucis complectar, prius enarraturus casus aliquot huc spectantes.

Casus primus.

Anna Wiesen, sedecim annos nata, primum praegnans, 3. Septembris anni 1854 die, hora nona vestpertina ad nosocomium delata est, quia partus proxime imminebat, convulsionesque jam domi eruperant. Ut familiares ejus narraverunt, aegra jam diu dolores capitis questa erat, extremitates inferiores oedemate tenebantur.

Vespere tertii Septembris diei soporosa, admodum livida, facies ejus paulo oedematosa deprehensa est. Medicus arcessitus venaesectione libram sanguinis detraxit. Aegra eodem vespere duobus impetibus tentata esse videtur; cum transferretur ad nosocomium, mentis perfecte compos fuit; per noctem sequentem placide, sine omni convulsione, dormivit. Ast mane circa horam 8¼ spasmi

renovati sunt, accessio 1. quinque, 2. (hora nona) 6, 3. (hora 9½) tres horae minutas tenuit, in quorum ultimo narcosis chloroformio inducta est. Interea orificium uteri, licet vespere hesterno portio vaginalis haud laevigata fuerat, ita dilatatum est, ut duorum circiter digitorum diametrum haberet, tactuque molle et leve videretur. Cum ergo convulsiones hora decima repeterentur, versio in pedes et extractio infantis suscepta est. Corpus facile in lucem prodiit; cum autem partus capitis etiam manipulationi a Kiwischio commendatae non successisset, ob orificium uteri haud satis dilatatum et caput firmissime amplectens, forcipe infans maturus extractus est, cujus cor quidem palpitavit, respiratio autem nulla arte excitari potuit, haud dubie ob vias respiratorias inter retardatum capitis exitum pituita obturatas. Durante adhuc operatione, aegra sensum recuperavit, placenta mox infantem secuta, haemorrhagia non oborta est. Convulsiones plus minus constanter post intervallum horae mediae repetebantur, temperatura aucta, pulsus acceleratus, aegra per intervalla mentis compos, et sat alacris fuit, nil nisi capitis dolores nonnunquam accusans; praecipue ante initium convulsionum, quas paulo ante augurabatur, extremitates gelidae et pallidae erant. Affecta est summatim quindecim impetibus, quorum dimidium alterum horae minutam non excessit.

Imp.	hora;	tenuit horae minutas.
1.	8½	» 5
2.	9	» 6
3.	9½	» 3
4.	10	» 2
5.	11½	» 2
6.	12	minutam non plane integram.
7.	12½	
8.	1½	

Imp.	hora;	tenuit horae minutas.
9.	2	minutam non plane integram.
10.	2½	
11.	3	
12.	4	
13.	5	
14.	6	
15.	8	tenuit min. 1½.

Therapia. Inprimis adhibita est Narcosis per chloroformium imminente accessione. Praeterea cruribus ambobus impositi sunt sinapismi, donec aegra vehementioribus doloribus, hoc remedio excitatis, afficeretur; capiti fomenta frigida imponebantur, extremitates continuo glacie fricabantur, et fomentis frigidis involvebantur, quae omnia post ultimum impetum, vespertina hora octava, sudor levis excepit, accessionibus recentibus per noctem vel diem proximum non irrumpentibus. Septembris die 5. aegrota satis bene valuit, nocte sexta mediocris intestini dolor opio pulsus est. Per proximos quoque dies aegra bene valuit, donec die post partum nono pneumonia lateris sinistri affecta ad aliam nosocomii partem deferebatur. Urina 4. investigata albumine abundavit. Urina 5. reddita accurato experimento submissa haec obtulit: colorem subflavum, pondus specificum 1007; praeterea pauxillum sedimenti habuit. Elementa normalia: Urophaeinum deminutum, uroxanthinum modicum, urea deminuta, item acidum uricum, chlorida normalia, phosphates terrei et sulfates normales. Elementa anomala: albumen deminutum, si cum hesterno lotio comparabatur, in sedimento apparebant: tubuli Belliniani, epithelium, singula corpuscula sanguinis. Cognitus est ex his morbus Brightii.

Casus secundus.

Francisca Unzeitig, annos nata 24, quae jam pluries pepererat, Junii die 6, tempore vespertino, primos partus dolores sensit, die sequenti, matutina hora $7\frac{1}{4}$ exanimem, circiter octo mensium puerum edidit et semihorio elapso placentam. Mane partum praecesserunt impetus duo eclamptici, primus, hora $4\frac{3}{4}$, tenuit 14 minutas; alter,

hora 6¼, 4 minutas. Partum secuti sunt sequentes impetus:

hora 7½,	tenuit	minutas	2	hora 1½,	tenuit	minutas	6
» 8¾	»	»	4	» 3¼	»	»	4
» 10¼	»	»	3	» 6¾	»	»	4

Therapia. Initio praescripti sunt flores Benzoës, postea, his omissis, aegra usa est opio, inter impetum chloroformio-narcosi, oleo hyoscyami, quod infricabatur abdomini, cum tinctura opii paratis clysmatibus.

In cruore pueri, 13. explorato, inventa sunt: chlorida multa, chloroformium docimasia Trommeri nullum, docimasia per chlorum et cyanum exigua vestigia chloroformii, ammonii carbonici sat multum, ureae vestigia.

Urina pueri ponderis specifici 1019 fere nulla continebat chlorida, Uroxanthinum modicum, albuminis ingens pondus, pauxillum sanguinis, certa signa ammonii carbonici, ureae tantillum, ut vix cognosci posset, nec chloroformium, nec acidum formicicum.

Urina matris 15. investigata haec fere exhibuit: colorem fuscum, turbidum, reactionem acidam, pond. spec. 1015. Sedimentum continuit: cylindros fibrinosos, adipem, globulos sanguinis. Albumen modicum, Haematinum parcum, vestigia ammonii carbonici, Urophaeini vix normale pondus, Uroxanthinum auctum, urea aucta, item chlorida; sulfates et phosphates normales.

Die 17 elementa urinae fere eadem fuere, ureae tantum et acidi urici pondus, cum normali comparatum, multo deminutum fuit. Obortum est coma et mors.

Casus tertius.

Anna Berger, nata annos viginti duos, primum praegnans, ante graviditatem semper bene, inter hanc continuo

male valuit; praecipue doloribus in regione ossis sacri, vomitu et doloribus capitis laboravit, quibus supervenit oedema extremitatum inferiorum, quod vero post aliquod tempus evanuit. Menses ultimos refert mense Martio fluxisse. Decembris die 19, circa meridiem (hora 12), doloribus capitis vehementibus tentata in institutum venit, et recepta post horam vomitu vehementi affecta est, a meridiana hora 2 irrupit impetus eclampticus primus, durans minutas quinque; mentis compos mansit. Accessiones usque ad horam matutinam quintam proximi diei repetitae sunt decies octies, et quidem hocce ordine:

Impetus;	ortus hora;	tenuit minutas.
2	2½	» 4
3	4¼	» 3
4	5	» 3
5	5½	» 4
6	6	» 5
7	7¼	» 4
8	8¼	» 3
9	8¾	statim repressus est.
10	9¼	» 1
11	9¾	» 2
12	10½	» 2
13	11	statim repressus est.
14	12½	» » »
15	1½	» 2
16	1¾	» 2
17	2¼	» 2
18	3¼	» 2
19	5¼	» 2

Post colpeurysin quintam orificium uteri satis dilatatum erat, ut forcipe hora 7 vespertina ante impetum septimum puer immaturus, sed vivus, extrahi posset. Decembris die 20 impetus nullus apparuit, aegra tres horas satis tranquille dormivit, expergefacta quidem admodum inquieta

fuit, post aliquod autem tempus somnum repetiit, impetu nullo tentata. Post tertium insultum mentis non erat compos, accessiones plures narcosi reprimebantur. Usa est: Liq. cc. succ. ʒj, Laud. liq. Sydenhami gutt. xv, Aq. chamomill. ℥ij, bis singulis horis cochlear majus sumens; quae hora octava infuso cham. (℥vj) et aq. laurocer. (ʒij) commutata sunt. Hora undecima impetus iterum vehemens irrupit, investigatio urinae post hunc statim instituta obtulit: Magnum pondus albuminis, urophaeinum graviter auctum, uroxanthinum admodum largum, Chlorida pondere normali, Phosphates valde deminutos; chloroformium vel acidum formicicum inveniri non potuerunt. In sedimento magna fuit copia cylindrorum fibrinosorum.

Oborti sunt eodem die tres praeterea impetus:

Impetus,	hora	erupit,	et	tenuit	minutas.
21	11¼	»	»	»	3
22	12¼	»	»	»	3
23	8¼	»	»	»	1

Die 21. Ex vespere hesterno nullo impetu affecta est; sensus paululum rediit. Aegra queritur dolores capitis, sitim, dolorem abdominis digito pressi; uterus rite sese contraxit.

Pondus albuminis in urina explorata hesterno levius fuit. Capiti fomenta frigida imposita, potus acidulus, infusum ipepecacuanhae, aqua laurocer. praescripta sunt.

Die 22 aegra valetudine multo meliore usa est, mens integrior, sitis modica, pulsus 110 micans exilis fuit. In urina copiosa albumen deminutum, cylindri fibrinosi nonnisi pauci deprehensi sunt. Symptomata morbi magis magisque evanuerunt.

Casus quartus.

Sophia Bahr, nata annos 16 ½, primum praegnans, corpore valido, nunquam morbum experta, nisi sub finem graviditatis normaliter progredientis, quo ambustionibus, quarum cicatrices adhuc supersunt, laesa est; vitam irregularem egit. Junii die nono, tempore matutino, primum parturientium doloribus correpta est validis, hora 3 ½ post meridiem convulsionibus affecta, durantibus circiter minutas horae tres; impetus secundus, qui tenebat minutas quinque, hora 4 ingruit, inter quem spiritu duxit chloroformium. Investigatio instituta docuit: orificii interni aperturam circiter unius digiti in diametro, pelvim normalem.

Hora 4 ½ impetus tertius apparuit, durans octo minutas. Ex hoc tempore accessiones frequentiores et vehementiores fuere, oborta est cyanosis summa, pulsus modo frequens et exilis, modo tardus et plenus. Usque ad horam vespertinam sextam numerati sunt impetus sex. Dolores partus validi et normales, orificium uteri eum in modum apertum fuit, ut forceps adhiberi posset. Chorio rupto, puer vivus in lucem editus est, placenta mox sponte secuta. Aegrota fere bene valuit, modice debilitata; cum repente, hora nocturna ½, novus impetus irrueret, adhibitum est opium et narcosis, quae placidus usque ad horam 5 ½ matutinam tenens somnus excepit. Post meridiem autem diei 10 per singulas horas sex accessiones ingruebant. Sensorium, eo usque per intervalla integrum, sopore alto obrutum est. In urina per catheterem edita reperta sunt: pond. spec. auctum, acidum uricum, phosphates alkalini et albumen copiosa, urates deminuti, praeterea cylindri fibrinosi, pituita, corpuscula sanguinis.

10. die aegra aliquanto vires recuperare visa est, a meridiana vero hora 4 impetus ingruit ultimus.

11. Symptomata febris apparuerunt et dolores intestini.

12. urina pondus spec. et sedimentum exiguum ostendit. Chlorida et urea deminuta, albuminis pondus leve, Urophaeini modo vestigium, pauxillum ammonii carbonici, adipis, Epithelii et pituitae cellularum. Vesperi, hora octava, inter symptomata peritonitidis aegra exspiravit. Corpus mortuum incisum nil nisi renes putredine jam vitiatos exhibuit.

Casus quintus.

Josepha Masin, annos viginti duos nata, haud nupta, primum praegnans, Novembris anni 1855 die 10, matutina hora tertia, mentis impos ad institutum obstetricium delata est. Ei familiares referunt, primos partus dolores apparuisse die Novembris nono, hora nocturna undecima, aegram domi affectam octo eclampsiae impetibus et sine mente jacentis corpus totum spasmis vexatum fuisse. Impetus primus hora duodecima fertur obortus esse.

Investigatio in valetudinario instituta haec fere docuit: aegra valido est corpore, facies tumida, rubefacta, lingua vehementer turgida et cruenta, abdomen ut decimo mense gravidis esse solet; pulsus foetalis paulo infra umbilicum a dextra et sinistra debilis audiebatur. Extretremitates inferiores oedemate gravi tumebant, pulsus 120, deliquium animi perfectum. Genitalia exploranti apparuit portio vaginalis laevigata, orificium uteri laeve, et nonnisi paulo plicatum, diametro circiter $^1/_2$", oolemmata illaesa, liquor amnii rarus, in apertura pelvis digito cedens caput. Semi-

horio post adventum aegrae primus in nosocomio impetus eclampsiae observatus est, tenens minutas tres. Hoc absoluto, vesica vacuefacta est per catheterem. Analysis urinae. Color succineus, pond. spec. 1009, react. acida, sedimentum leve. Elementa normalia: Urophaeinum deminutum, uroxanthinum mediocriter auctum, urea deminuta, acidum uricum et chlorida fere normalia, sulfates deminuti, phosphates terrei deminuti, phosphates alkalini normales. Albumen multum, in sedimento singula corpuscula sanguinis et cylindri fibrinosi. Analysis ergo urinae ostendit, renes morbo Brightii, et quidem stadio hyperaemico et exsudativo, correptos esse.

Cum aegra, etiam eclampsiae impetibus non tentata, indecore se gereret omnemque investigationem impediret, manus pedesque mantelis ligati sunt; deinde orificium uteri colpeuryntere dilatatum. Eclampsiae impetus proximus, horam integram post primum in valetudinario observatum, i. e. sub horam $4\frac{1}{2}$, ortus est. Per hunc impetum, durantem minutas tres, aegra chloroformium usque ad narcosin levem spiritu duxit. Ordo accessionum, quae ante partum irrumpebant et inter quas aegra nunquam non chloroformio usa est, hic fuit:

Impetus	ortus,	hora,	duravit	minutas.
»	$5\frac{1}{4}$	mane	»	2
»	$5\frac{3}{4}$	»	»	$1\frac{1}{2}$
»	$6\frac{1}{2}$	»	»	2

Post impetus colpeurynter amotus est, orificium uteri, licet apertura ejus tantum $\frac{1}{2}''$ diametro habebat tamen, quia utcunque molle et facile erat, digitis dilatatum est, et oolemmatibus ruptis caput, quod adhuc in superiore

fere parte pelvis haerebat, forcipe extractum. Cum, his peractis, investigatio partium internarum repeteretur, altera vesica, liquore amnii satis copioso plena, deprehensa est, post quam, sublatis uteri contractionibus, humerus sinister praevius distincte cognitus est. Amnio itaque sine mora rupto, versio in pedem sinistrum facta est. Infans facile est extractus, aegra interea chloroformium inhalavit.

Partu 7 hora peracto, impetus eclampsiae irrupit

6	hora	7¼,	tenens minutam	1
7	»	7½	» »	1½
8	»	8¾	» »	1
9	»	10¾	» »	½

Etiam per has accessiones aegra narcosi submittebatur. Urina ante novissimum insultum, hora 10½, cathetere reddita haec ostendit: Color fuit vini, pond. spec. 1007, react. acida, sedim. paulo copiosius, urophaein. mediocriter deminutum, uroxanthinum normale, urea deminuta, acidum uricum fere normale, chlorida deminuta, sulfates, phosphates terrei et phosphates alkalici normales.

Pondus albuminis multo minus, quam heri, cylindri fibrinosi vero aucti. Praescriptum est acid. phosph. cum syr. rub. idaei, capiti fomenta frigida imposita. A decimo die ad undecimum aegra melior et mentis sat compos evasit, pulsus, qui post partum frequentissimus vix sentiri potuit, se pleniorem et tardiorem digitis praebuit, aegrota paululum conquievit; 12. vero signa febris puerperalis oborta sunt, qua paulatim ingravescente 14. die aegra exstincta est.

Corpus mortuae apertum obtulit: endometritidem et lymphangoitidem puerperalem, mortis scilicet causas; renes

vero laboraverant morbo Brightii, ad stadium hyperaemiae et exsudationis progresso.

Casus sextus.

Catharina Huepfel, nata annos triginta, haud maritata, jam pluries partum enixa, postquam Januarii die 8, vespertina hora 5, primos ex partu dolores sensit et domi, ut dicebatur, jam sex eclampticos impetus perpessa fuit, in nosocomium delata est. Urina ostendit magnum albuminis pondus, in valetudinario sex adhuc irruperunt impetus, hoc fere ordine.

Impetus,	hora,	tenens	minutas.	Impetus,	hora,	tenens	minutas.
1	5	»	1	4	8	»	½
2	5¾	»	1	5	8¾	»	⅛
3	6¾	»	½	6	9¼	»	¼

Post horas tres arte orificium uteri dilatatum est, matutina hora 9½ amnio rupto, versio in pedes suscepta, forcipe immaturus quidem, sed vivus infans extractus, et placenta soluta est. Impetus non sunt repetiti, ast aegra mentis impos mansit, narcosis nihil profuit, cum impetus impetum brevibus intervallis excepisset. Die morbi 3. sopori mors supervenit.

Corpus incisum morbum Brightii, ad stadium secundum progressum, et oedema pulmonis dextri ostendit.

Casus septimus.

Francisca Kolsmann, nata annos viginti, primum praegnans, die Augusti anni 1854 decimo quarto, antemeridiana hora 11½, in institutum recepta est. Ut referunt ei familiares, ex hora matutina 7. jam impetibus spasticis

affecta erat; facies livida apparebat, pupilla paulo contracta, dentes firmiter compressi, caput continuo nunc ad dextram nunc ad sinistram jactatum, extremitates superiores ex intervallo ad frontem et tergum vibratae, etiam extremitates inferiores spasmis quassatae. Aegra est corpore valido, uterus extensus, ut decimo mense graviditatis esse solet, sonus cordis foetalis in sinistra parte clarus auditur. Orificium uteri adeo dilatatum est, ut per orificium internum chorion tangi caputque permobile palpando pervestigari possit. Portio vaginalis fere laevigata, fornix vaginae forma normali. Albuminis in urina pondus haud grave, impetus circiter horae minutam tenet, post hunc mente caret aegrota, color faciei et temperatura capitis sunt normales, cutis extremitatum et trunci calida et sicca, pulsus 100, durante impetu 120. Impetus 2. hora $11\frac{1}{2}$ chloroformio inhalato coerceri non potest; tertius autem obortus hora $11\frac{3}{4}$ chloroformio, statim a primo aestus signo adhibito, mitigatus, quartus, post quinque minutas irruens, interceptus est. Impetus 5 hora 12, post quinque minutas, sextus, septimus itidem post quinque minutas, octavus, isque quidem vehemens, hora $1\frac{1}{2}$ apparuerunt; per novissimos quatuor chloroformio aegrota usa non est. 9. hora $12\frac{3}{4}$, 10. decem minutis post, 11. impetus hora $1\frac{1}{4}$, 12. hora 2 orti sunt, quem novissimum comitatus est vomitus ter repetitus et dejectio alvi modica. Temperatione capitis, justo calidiore, et livore faciei paulatim obortis, capiti imposita sunt fomenta frigida et hora 2 sanguinis unciae quatuordecim detractae.

Analysis cruoris. Cruor in serum clarum et subviride atque in placentam subrubram, copiosam, satis densam

secessit, quae colore fellis tincta et membrana fibrinosa, spumosa tecta erat. Serum valde alkalinum, pond. spec. habuit 1025; continebat Albuminates natricos (Caseinum?) et abundabat Biliphaeino. Filtratum seri per spiritum vini praecipitati pauxillum ureae et sacchari, multum Cholestearini et natri, juncti cum acidis cholicis, tauricis et glycoicis, et Bilini habebat. Destillatio accuratissima recentis seri aqua diluti cum Phosphate magnesico et tinctura roccellae rubra negativum exitum obtulit. Cruor itaque, qui nullum ammonium carbonicum, elementa autem bilis omnia complectebatur, non uraemiae, sed cholaemiae signa prae se tulit. Venaesectionis ad frangendam frequentiam et vehementiam impetuum vis nulla fuisse videtur. Cum hora $2\frac{1}{2}$ orificium uteri aperturam vigesies priori majorem non ostenderet, adhibitus est colpeurynter. Hujus usu quidem eclampsiae impetus frequentiores facti, orificium uteri vero eum in modum dilatatum est, ut hora 4 amnio rupto, forcipe non sine labore capiti imposita, infans maturus, sed exanimis in lucem satis facile protraheretur. Operationem finitam paulo post horam octavam impetus vehemens secutus est.

Aegra tranquilla fuit et mentis expers. Caput percalidum, respiratio libera (raro praeclusa) et alta. Nocturna hora $11\frac{1}{2}$ mortua est.

Sectio. Corpus est mediocre, bene nutritum, musculi robusti, in dorso maculae ferales subviolaceae et amplae.

Calvariae superficies interna, sutura sagittali excepta, strato osteophytorum lineam dimidiam crasso, subrubro, quod facile distringi potuit, tecta. Falx cerebri continebat sanguinem concretum et liquidum, membranae cerebri san-

guine abundabant, cerebrum permolle erat, exsangue et perhumidum; in ventriculis semuncia pellucidi seri reperiebatur. Glandula thyreoidea fuit pallida, in larynge sat magnum pondus seri subrubri, pulmones dorso adnati, dimidium posterius lobuli inferioris sanguine abundans, passim granulatum, aëre omni carens, fluido rubro, turbido, spisso plenum; ceterae pulmonum partes oedemate affectae.

In pericardio pauxillum seri, in corde multa coagula sanguinis et fibrini inventa sunt. Jecur et lien sanguine abundantia, intestina normalia fuere; renes hyperaemici, pars corticalis subrubra, turgida, soluta; genitalia ut novissimo post partum tempore esse solent.

Casus octavus.

Josepha Riese, nata annos viginti, primum praegnans, Septembris die 26, vespertina hora 7, primis partus doloribus, 27, nocturna hora $12^{3}/_{4}$, primis impetibus eclampsiae correpta est, qui quidem vehementes fuere, at cito evanuerunt. Impetus iterati sunt: hora 1, $2^{3}/_{4}$, $4^{1}/_{4}$, $5^{3}/_{4}$, $6^{1}/_{2}$, $7^{1}/_{4}$, ultimus hora 8. Per intervalla primorum impetuum aegra mentis compos fuit, paulatim vero mente alienata est, nam sopor perfectus ingruit. Urina per catheterem edita grave albuminis pondus ostendit. Orificium uteri, primis impetibus non satis apertum, dilatatum est arte; matutina hora 8 explanatum fuit, cum autem caput aperturam pelvis nondum ingressum esset, extrahi non potuit. Versio igitur in pedes et extractio per forcipem suscepta est, quae postrema non sine labore contigit, conjugata tantum $3^{3}/_{4}$ digitos longa. Placenta mox secuta

est, haemorrhagia non apparuit, uterus probe se contraxit. Per impetus chloroformium adhibitum est, quo inhalato plures impetus repressi sunt. Post partum ortus est erethismus, aegra inquieta corpus jactavit, signa morbi creverunt paulatim; hora duodecima mortua est.

Sectio corporis nullam mortis causam docuit, renes sanguine abundavere.

Casus nonus.

Josepha Haglaner, nata annos 32, non maritata, operaria, Julii die 31 inter partus dolores in institutum recepta est. Apertura orificii uterini magnitudine crucigerum aequavit, aegra sibi bene valere visa est. A meridiana hora $4\frac{1}{2}$ orificium uteri explanatum est; post investigationes frequentiores aegrota, ut obstetrices referebant, vehementi horrore tentabatur, quem mox hora $5\frac{1}{2}$ impetus eclampsiae secutus est, cujus initium non observabatur. Facies livida, tumida, oculi distorti, spasmi extremitatum superiorum; in ore, cui cochlear linteo circumvolutum inserebatur, spumae sanguinolentae colligebantur. Urina, statim explorata, ingens albuminis pondus exhibuit, pulsus 136, exilis fuit, arteriae rite se contraxere, foetus forcipe extractus est sine mora, parvus quidem, sed maturus, secundinae normales fuere, aegra, inter operationem quieta, nullo dolore torqueri visa est, deinde partus ceterorumque eventuum immemor.

Impetus secundus hora $5\frac{1}{2}$ oculis distortis initium cepit, etiam quod ad cetera primo similis; chloroformium ad coercendos spasmos tentatum nihil profuit, impetus duravit $1\frac{1}{2}$ minutam. Per intervalla impetuum aegrota

soporosa jacuit. Hora $7\frac{1}{2}$ pauxillum jusculi hausit, quod mox secuti sunt labores ex vomitu et tertius impetus. Hora $8\frac{1}{2}$ ortus est 4 et minutis duabus post respiratio quasi stertorosa, paulo post expedita. Hora $11\frac{1}{2}$ inter somnum repentinus irrupit impetus quintus. Hora $12\frac{3}{4}$ accessio 6 cum convulsionibus priores vehementia superantibus; tenuit $1\frac{1}{2}$ minutam. 7 insultus hora $1\frac{3}{4}$, octavus $2\frac{1}{2}$, cum spasmis omnium vehementissimis, nonus hora $3\frac{1}{2}$. Ex impetu septimo mente alienata mansit; decimus hora 4, undecimus hora $5\frac{1}{2}$, duodecimus hora $6\frac{1}{2}$, decimus tertius h. 7, decimus quartus h. $7\frac{1}{2}$, decimus quintus 8 orti sunt. Pulsus exilis, ictus 142. Impetus 16 idemque ultimus hora $11\frac{1}{2}$.

Urina subfusca, alkalina, pond. spec. 1028; sedimentum habuit cylindros exsudatos, epithelium, corpuscula sanguinis, multum albuminis, indicia Haematini, urophaeinum fere normale, uroxanthinum auctum; urea normalis fuit, sulphates copiosi, phosphates terrei deminuti, phosphates alkalini normales. Cognitus est inde morbus Brightii.

Die 2. pulsus 150, sudor copiosus et valde lubricus, aegra interrogata voce submissa respondet, oculi aperti et sursum versi, caput congestionibus affectum; potum quidem non petit, sed porrectum haurit; albuminis pondus deminuitur.

Die 3. Pulsus 140. Cutis lubrico sudore, lingua strato crasso, albo tecta; cetera ut antea; data est aq. lax. ℥j, cujus usum excepere alvi dejectiones septem, quarum prima mucus, secunda et tertia aqua, dissoluto sanguine mixta, quarta, quinta, sexta et septima stercora edita sunt. Vomitio aquae et flocculorum sanguinis concreti ter rediit.

Ventri dolenti et turgido glacies imposita est. Urina: Color aurantiacus, react. acida, pond. spec. 1028, sedimentum, ut prius exploratum, adjectis crystallis uricis, albumen et uroerethrinum copiosum, urophaeinum auctum, urea copiosa, acidum uricum auctum, Chlorida deminuta, sulphates aucti, phosphates terrei deminuti, phosphat. alkalini aucti.

Die 4. Dolores capitis, pulsus 150, pupilla valde dilatata, aegrota indifferens jacet, pars corporis sinistra affecta est paresi, atque vespere perfecte torpida redditur. Urina in lectum effusa, pulsus 164; glacies seposita et infus. arnicae datum est. Exspiravit hora nocturna 12, inter signa oedematis pulmonalis.

Sectio. Corpus exiguum, male nutritum, pallidum, dura mater valde tensa, membranae cerebri in lobulo anteriore et magna parte fundi totius cerebri et cerebelli multum sanguinis et sugillationes ostendebant, cerebrum densum, superficies corporis striati dextri in taeniam purpuream circiter digitum longam semidigitum latam mutata, cui, ependymate rupto, majorem ventriculi partem impleus, circiter 3—4 lineas crassum sanguinis coagulum inhaerebat, substantia cerebri proxima extravasatis numerosis quasi punctis purpureis sparsa. In ventriculis cerebri serum cruentum inventum est. Pars thoracis sinistra sordida et fusca continuit liquorem mixtum cum ciborum reliquiis, pleura cervicis et lobuli pulmonum inferioris posteriorisque gangraenae obnoxia fuit, pulmonis ceterae partes anaemicae et tergum versus oedemate affectae.

In pericardio cernebatur serum, cor, jecur, lien valde pallida fuere, in stomacho omnia membranae strata perfo-

rans foramen, volam manus magnitudine superans, in parte sinistra diaphragmatis autem foramen imperiali amplius; stomachus contractus vacuus ejusque contenta in cavum abdominis effusa erant, renes anaemici, uterus normalis, praeter partes laterales, quarum venae viridi et spisso pure scatebant.

Casus decimus.

Catharina Jablonka, nata annos 22, innupta, primum praegnans, primis partus doloribus correpta est sexto Januarii die, hora 3 matutina, qui recrudescebant antemeridiana hora undecima. Partus editus est hora $11\frac{1}{2}$, paulo ante amnio rupto; infans, oborto inter partum eclampsiae impetu, forcipe extractus est. Urina saepius explorata continuit non mediocre pondus albuminis. Hora $12\frac{1}{2}$ impetus apparuit 2, 3 hora $2\frac{1}{2}$, 4 h. $5\frac{1}{4}$, 5 h. $7\frac{3}{4}$ vespertina, per intervalla mentis compos erat; ab hoc inde tempore accessio nulla.

Therapia. Hirudines sex ad processum mastoideum dextrum et sinistrum applicatae, pluries adhibitum est chloroformium, quod aliquos impetus coercuit, alios repressit. Hora 8 in urina albuminis fere nihil inventum est, fomenta frigida, eo usque applicata, seposita sunt; puerperium normale fuit, puella, morbo sanata nosocomium reliquit. Nulla corporis pars oedemate afficiebatur.

Casus undecimus.

Rosalia Fraga, annos nata 21, primum praegnans, admodum sensibilis. Jam ante partum in nosocomio biduum versabatur, investigationem etiam blandissimam sibi vehe-

mentes dolores parare accusans, inter partus labores totum conclave clamoribus implevit. Partus cito peractus est, puer vix octo mensium exanimis sine artis auxilio editus est, liquor amnii discolor et luteolus erat. Post partum, qui fuit a meridiana hora 2, Octobris die 23, agra laeta fuit beneque valuit; repente autem hora $4^{3}/_{4}$ post meridiem exclamavit, digitos dextrae manus corripi spasmis, quos convulsiones totius corporis excepere, deliquio animi stipatae. Convulsiones tenuere duas minutas, mentis demum ante quadrantem horae compos reddita est, tum autem perfecte; usque ad impetum proximum, irrumpentem post horam, aegra hilaris nil nisi obtusos dolores capitis accusavit. Post impetum primum vesica urinaria cathetere vacuefacta est, urina magnum pondus albuminis ostendit. Impetus alter hora $5^{3}/_{4}$ irrupit, simillimus primo, tenuit minutam $1^{1}/_{2}$. Aegrota per impetum chloroformium inhalavit, narcosis continuata est usque ad impetum proximum; post horam $^{1}/_{2}$ mentis iterum compos evasit. Aegra questa est levem capitis dolorem, ceteroquin bene valuit. Mox somnus satis gravis ei supervenit, qui usque ad $10^{1}/_{2}$ horam duravit nocturnam, qua hora expergefacta obstetricem vocavit, et paulo post novis convulsionibus correpta est, $1^{1}/_{2}$ horae minutam durantibus. Usu chloroformii narcosi excitata, post horam unam iterum somnus accessit, qui satis inquietus et interruptus usque ad impetum proximum, minuta decima post horam primam ortum et minutam unam protractum, perdurabat. Chloroformio iterato, narcosis inducta et aegra post horam experrecta est. Obortis vehementioribus capitis doloribus, praescripta sunt epithemata frigida. Aegra mox obdor-

mivit, somnus initio inquietus, horis matutinis tranquillior et gravior factus est, impetus non sunt reversi. Die lunae vesica urinaria cathetere exonerata est. Analysis urinae: Color vini similis, pond. spec. 1007, react. acida, sedimentum exiguum; urophaeinum deminutum, uroxanthinum mediocriter auctum, urea deminuta, acidum uricum normale, chlorida normalia, sulfates normales, phosph. alcalini fere normales, parum albuminis, in sedimento singuli tubuli Belliniani, epithelium et corpuscula sanguinis. Cognitus est inde morbus Brightii. Impetus non sunt repetiti, puerperii decursus normalis fuit.

Casus duodecimus.

Theresia Kailer, primum praegnans, nata annos viginti, per dies graviditatis ultimos decem observavit oedema extremitatum. Chorion ruptum est Maji die 6, matutina hora 3, partus editus hora sexta; repente hora 12 amblyopia irruit, aegra corpus pandere coepit, et vestigia ostendit convulsionum. Hora $2^1/_4$ apparuere primae convulsiones, singulis horae sextantibus repetitae, quibus corpus jactatum, oculi distorti, spasmi extremitatum superiorum et inferiorum inducti sunt. Cuique impetui praecessit opportunitas vomendi. Missae sunt sanguinis unciae undecim, chloroformium spiritu ductum per totum impetum. Impetus, usque ad horam vespertinam octavam repetiti octogies et quater, habuere intervalla certa, plures minutas durantia. Ex hora octava nulla intervalla apparuerunt, hora 10, postquam praecessere signa oedematis pulmonum, mortua est. Analysis urinae. Color rubrofuscus, turbidus, react. acida, pond. spec. 1028. In se-

dimento deprehensi sunt: globuli sanguinis, multum adipis, cellulae puris, numerosissimi cylindri fibrinosi, albuminis tantum, ut in sero normali esse solet sanguinis, vestigia ammonii carbonici; haematini parum, urophaeinum auctum, urea, chlorida, phosphates terrei deminuti, uroxanthinum auctum, acidum uricum deminutum, sulfates copiosi, phosph. alcalini aucti.

Analysis cruoris. In cruore multum ammonii carbonici, vestigia exigua chloroformii inventa sunt.

Sectionis eventus: Hyperaemia cerebri, oedema pulmonum, uterus normalis, lymphangoitis nulla, renes degenerati morbo Brightii.

Casus decimus tertius.

Rosalia Koch, nata annos 31, jam pluries partum enixa, 5. Martii die in institutum venit. Aprilis die 28, vespertina hora 7, orti erant primi partus dolores, 29 matutina hora 2 geminorum primus, post semihoram alter editus est; placenta prodiit hora 3. Infantes maturi fuerunt, primus praevio coccyge, secundus occipite nascebatur. Hora 24 post partum dolor hypochondrii dextri et vehemens capitis dolor oborti sunt et tribus horis post impetus eclampticus ingruit, durans tres horae quadrantes, imp. II erupit hora nocturna 12 et tenuit tres horae quadrantes; III hora 3, IV h. 5½, ultimus hora nona; per ultimos duos chloroformium aegra inhalavit usque ad narcosin. Praeterea adhibita sunt opii grana tria, quibus sumtis obdormivit. Faciei oedema observabatur, non pedum. Cum diutius alvus fuisset adstricta, ad hanc sol-

vendam clysma praescribitur, quod alvi dejectione excipiebatur.

Analysis urinae. Color est cerevisiae, react. acida, pond. spec. 1021. In sedimento singula corpuscula sanguinis et crystalli uricae. Albuminis permultum, indicia ammonii carbonici et haematini, saccharum sat copiosum, urophaeinum modice auctum, uroxanthinum auctum, urea deminuta, acidum uricum deminutum, chlorida valde deminuta, sulfates aucti, phosphates et terrae auctae.

Maji die 2. Multum albuminis in urina. Medicamina nulla adhibita sunt. Albuminis pondus paulatim deminuitur. Nono Maji die adeo convaluit, ut morbo liberata dimitteretur.

EXITUS.

Quod attinet hos, omnia alicujus sunt momenti in eclampsia puerperali, quae in morbo Brightii; accedunt tantum casus puerperio interpositi, morbi hoc comitantes, vel eo producti. Si aegra convalescit, impetus non repetuntur, morbi alii non accedunt, sanitas breve post tempus recuperatur. Morbus Brightii in puerperio rarissime chronicus fit. Persaepe vero morbi exitus est mors, cujus frequentissima causa in uraemica intoxicatione cernitur.

PROGNOSIS.

Morbus est perniciosissimus et acutissimus, praeterea operationes obstetriciae, plerumque necessariae, periculum matri et infanti imminens magnopere augent. Saepissime convulsiones causam abortus sistunt. Quod attinet ma-

trem, habenda est ratio temporis, quo erumpant convulsiones, respiciendae sunt earum vis et frequentia, et quae his juncta sunt: albuminis quantitas, copia cylindrorum fibrinosorum et sanguinis in urina explorata. Post eclampsiam orti morbi puerperales plerumque sunt lethales.

Infanti prognosis, quod attinet intoxicationem uraemicam, eadem fere, quae matri auguranda est. Si impedimenta edendi gravia exstant, plerumque exanimis editur, sin vivus, tamen multa de ejus vita timenda sunt.

THERAPIA.

Plurimi morbi Brightii casus durante graviditate non observantur, et periculum tantum partu patefit. Sin autem iam inter graviditatem morbus Brightii cognoscitur, curanda est prae omnibus hydraemia victu apto et medicamentis ferrum continentibus. Investigentur saepius urinae elementa et copia. Si quantitas admodum deminuta est, periculum imminet secuturae intoxicationis, avertendae idoneis remediis. Frerichs gravissime commendat flores Benzoes. Congestiones capitis avertendae sunt derivationibus ad intestinum, fomentis frigidis capiti impositis, aliis remediis sanguinem ad alia loca trahentibus. Abortum arte ciere, gravissimis causis dissuadetur, nisi casus singulares id reposcant.

Convulsiones durante partu ut intoxicatio uraemica curandae sunt. Primum est, ut symptomata leniantur, paroxysmi cohibeantur. In hunc finem summus est chloroformii usus; adhibendum autem est, simulatque apparuerunt prodromi impetus primi, hac enim ratione impetus saepe,

ut pluries vidi, reprimuntur. Et Braun magnopere commendat usum chloroformii. Alicujus dignitatis sunt, quae scriptor dictus de vi hujus remedii vitam infantis servandi tradit. Et hic adhibenda sunt fomenta frigida, et detractiones locales sanguinis; venaesectionem autem gravissimi autores dissuaserunt. Paroxysmo victo, curanda est intoxicatio uraemica. A Frerichsio ad excitandam diuresin commendati flores Benzoes cum successu saepe optimo adhibentur. Braun durante chloroformio-narcosi praescribit pro dosi 5—10 grana florum Benzoes, ita ut 6—12 horis plerumque $^1/_2$—1 drachma acidi benzoici cum aqua frigida copiosa sumatur. Hoc medicamentum, ait, continuo diuresin esse secutam copiosam, 4—5 dies durantem, qua persistente oedemata, albuminuria, et cylindri fibrinosi perfecte cesserint. Successum eundem Braun usu drachmarum duarum acidi tartarici, quae cum unciis duabus syr. rub. idaei et aqua frigida mixtae erant, et uno die potabantur, Litzmann usu succi citri, cochleatim cum saccharo sumti, obtinuerunt. Ablutiones cutis per acetum tepidum remedium bonum ad provocandam diaphoresin sunt.

Curationis eclampsiae per artem obstetriciam est, maturare partum.

VITA.

Natus sum Hermannus Beigel die VII mensis Aprilis anni undetrigesimi hujus saeculi Jarocinae, oppido Magni Ducatus Posnaniensis, patre Henrico, matre Hanna e gente Goldringiana, quos parentes adhuc vivos summa cum pietate veneror. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium Elisabethanum Vratislaviense, praeterea gymnasium Gliwitziense frequentavi. Testimonio maturitatis instructus ad almam Viadrinam me contuli, ubi tempore auctumnali anni h. s. L. ab Ill. Barkow, tunc fasces academicos tenente, in civium academicorum numerum receptus, philosophiae studiosis adscriptus sum. Anno h. s. LII. mutato consilio Gryphiswaldam petii, ad facultatem medicam transii et Gryphiae per duos annos, Berolini per semestre, Vindobonae per semestria duo in litteras medicas incubui. Lectionibus medicis et philosophicis, exercitationibus clinicis et practicis interfui hisce:

Vratislaviae. Ill. Branis, de psychologia et logice; Ill. Henschel, de encyclopaedia et hodogetice medica; Ill. Frankenheim, de physice; Ill. Glocker, de mineralogia et de exercitationibus mineralogicis practicis; Ill. Gravenhorst, de zoologia; Ill. Bunsen, de chemia experimentali; Ill. Goeppert, de botanice universali, eundem in excursionibus botanicis secutus sum; Exp. Grosser, de osteologia et syndesmologia.

Gryphiswaldae. Ill. Matthies, de logice; Ill. Stiedenroth, de psychologia; Ill. Tillberg, de physice; Ill. Hühne-

feld, de chemia anorganica, organica, et analytica, de mineralogia et geologia; Ill. Muenter, de exercitationibus phytotomicis et microscopicis, de botanice universali et bromatologica; Ill. a Feilitzsch, de physice, de electricitate et magnetismo; Exp. Pohl, de morbis syphiliticis, de morbis chirurgicis colli; Exp. Bengelsdorff, de methodo formulas medicas rite concinnandi; Cel. Eichstedt, de arte obstetricia, de exercitationibus obstetriciis; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio; Cel. Laurer, de materia medica, de toxicologia, de arte fascias rite alligandi; Cel. M. Schultze, de histologia, de osteologia et syndesmologia, de anatomia comparata, de zoologia medica; Exp. Haeckermann, de morbis pectoris una cum exercitationibus practicis in auscultatione et percussione, de politia medica; Ill. Haeser, de pathologia et therapia generali, de semiotice et diagnostice generali, de historia morborum epidemicorum; Ill. Schultze, de anatomia corporis humani, de physiologia, de anatomia pathologica, de exercitationibus anatomico-practicis; Ill. Bardeleben, de chirurgia universali et speciali, de akiurgia, de ophthalmiatrice, de fracturis et luxationibus; idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis practicis in cadavere instituendis, nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico; Beat. Berndt, de pathologia et therapia speciali, de morbis puerperarum; idem dux mihi fuit in clinico medico et obstetricio.

Berolini. Exp. Traube, de auscultatione et percussione; Exp. a Baerensprung, de morbis syphiliticis; idem dux mihi erat in clinico syphilitico; Exp. Meyer, de anatomia pathologica; Ill. Langenbeck, de akiurgia; idem mihi dux erat in clinico chirurgico et ophthalmiatrico; Ill. Ideler, de psychiatria; Ill. Schoenlein mihi dux fuit in clinico medico; Ill. Juengken in chirurgico et ophthalmiatrico; Ill. Casper, de medicina forensi; Exp. a Graefe, de ophthalmologia, de exercitationibus practicis et clinicis.

Vindobonae. Ill. Hyrtl, de anatomia corporis humani; Ill. Oppolzer, de exercitationibus clinicis, de morbis renum; Ill. Hebra, de morbis cutis, de exercitationibus clinicis; Ill. Sigmund, de morbis syphiliticis, de exercitationibus clinicis; in clinico obstetricio mihi Beat. Klein dux fuit; Exp. Jäger, de exercitationibus practicis ophthalmoscopicis; Cel. Seligmann, de historia medicinae et epidemiologiae; Ill. Mauthner, de morbis infantium.

Quibus viribus optime de me meritis maximas ago gratias. Jamjam tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non minus examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I. Eclampsia puerperalis symptoma tantum morbi.
II. Plica polonica morbus est constitutionalis.
III. Crines etiam aegrotare possunt.
IV. Paracentesis oculi venaesectio iridis.
V. Typhus abdominalis, exanthemate deficiente, certo cognosci non potest.
VI. Intumescentia glandularum cubitalium gravissimum syphilidis secundariae signum.
VII. Ruptura perinaei sine suturis sanari non potest.
VIII. Nec in epilepsia nec in ullo nervorum morbo exploratio capitis est negligenda.